

HENRICO BORBONIO
REGIÆ STIRPIS PRIMO
PRINCIPI.

MIRABERE forsàn, (PRINCEPS SERENISSIME) obſcurum ac ignobilem homuncionem Regni totius ſaluti dum peruigil incubas, auſum tuis auribus obſtrepere; deſines tamen vbi tui iuris eſſe litteratos omnes ſúbque tuâ clientelâ repoſitos memoriâ recoles & inter eos maximè mutas qui agitant artes; harum enim te fautorem eximium cùm agnoſcat Schola Medica Pariſienſis, paßimque gnarum & ſcientem prædicet veris imbutum dogmatis, ſub tuo tutamine tutam Theſim meam non erubui in publicum proferre; tuaque Altitudinis tholo velut votiuam tabellam appendere. Solares radij in ſordes & caligantia loca etſi proiecti, illuſtrant non inquinantur: ſcholaſtico ſic noſtro puluere ſordidus non minus nitebis, coruſcánſque tuus aſpectus ſquallentes nos recreabit Oris tui verecundiam onerent alij laudum cumulis, altóque ſatam ſanguine tuam gentem, tàm magnum mare non ingrediar, vt breui chartâ ſperem concludere; ſuprà calamum meum virtus tua eſt; alias in te effundam Principibus raras, ingenij acumen, doctrinam non vulgarem, vaſtam rerum omnium notitiam, excelſam facundiam, ſapientiam denique celerem, indeliberatam, ac omnium conſilia diù cogitata præcurrentem. Mirantur denique omnes te retroacti orbis prodigium, præſentis miraculum, futuri exemplum, quod imitari Principes omnes velim, aſſequi poſſe deſperem. Cætera ſileo, votum hoc tantùm interpono, vt ſimiles tui Rectores contingant patriæ quam fata volent eſſe ſaluam.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. NOVEMBRIS.

M. PETRO GVENAVLT, Doctore Medico, moderatore.

An Epilepsiæ per consensum aquæ Borbonienses Archimbaldicæ? 917.

QVI per consensum affligit comitialis morbus, occultum nihil habet, aliisve sacratior aut diuinior non est, vulgaria tamen ferè respuit remedia; tùm vetus, tùm recens, δυσκαταμάχητος ac penè ἀνίατος: Herculeus ideò dictus: magnus etiam, ob læsæ partis dignitatem symptomatúmque sæuitiam. Mentis arcem ac in eâ potiores ventriculos sinúsque obsidet: vnde collapsâ propè omni animalitate quasi fulgure ictus corruit æger, crebrâ corporis vniuersi conuulsione quatitur, vultus rubet, lumina torquentur, exeritur lingua, dentes colliduntur, auditur stertor, pòstmodùm ore spuma funditur: stercus, vrina, semen, effluunt nonnunquam. Et ne tàm crudeli malo miseriarum deesset cumulus principes functiones pereunt, vt ægrum ad se regressum actorum longa capiat obliuio. Verbo dicam, est epilepsia corporis vniuersi conuulsio typica cum mentis & sensuum læsione ob cerebri ventriculorum obstructionem sinuúmque angustiam. Grauis affectus, difficilis & operosa curatio, leniendum paroxysmum & præcauendum postulat. Mitescet situ ægri & loco debitis, suffitu, errhinis, ptarmicis, apophlegmatismis, acrioribus enematis, frictionibus, venâ sectâ, emeticis. Is ne redeat prudens cauet Medicus iterato sæpius medicamine ἐπικεραστικῷ: quod infarctu soluat viscera, veteres deleat intemperies, cuniculos & ergastula, è quibus teter in cerebrum expirat vapor, plana & aperta faciat, humores & meatus reddat εὐρόους, succos terrenos diluat, crassos & lentos attenuet incidátque, intima quæque ac penitissima peruadat, aluum denique benignè ducat, calori natiuo amicum & analogum. An deridendi qui pœoniæ radicem, stercus pauonis, ossiculum triangulare cranij, & humanum sanguinē intùs extráve adhibita epilepsiæ percurandæ suadent? Quique etiam expiationibus & incantamentis abigi posse autumant.

PRIMARIO quæ fit cerebri affectu epilepsia cum eâ quæ per consensum, affectâ sede & morbi specie conuenit, causis & symptomatum vehementiâ distinguitur. Illam inuehit frigidior cerebri intemperies, à quâ plurimus pituitæ prouentus; ideò pueris quàm senibus, mulieribus quàm viris, grauidis quam vacuis, Meridionalibus quàm Septentrionalibus in eam facilior casus. Soluitur ferè circà pubertatem, numquam post 25. annum recedit: sed ætatibus melioribus & pulcriori tempore viget. huius generationi vix vlla est adeò disiuncta & ignobilis particula quæ humoris aut vaporis tetri propagatione in principem illam partem aliquid non conferat. Morâ illic putrescens humor statis vicibus fermentescit, vel ob iram famémve incandescens in superiores ventriculos sæuam mephitim exhalat; cuius acrimoniâ percelluntur menynges, vt instar stomachi singultientis totum concutiatur cerebrum contrahatúrque, & τὰ πεφυκότα moueat in subsidium, vnde spiritus animales proprias affatim deserunt sedes cogúntque musculos præter voluntatem moueri. Pedes, crura, occipitium aliquandò fomitem asseruant adcò perniciosum: sæpissimè lien, ventriculus, vterus, ipsáque præcordia melancholicâ διαθέσει affecta. Hospes ille statim abigendus, vbicúnque stabuletur. Summotâ causâ protinùs desinet effectus: An non membri primariò affecti deligatione, vstione, ἐγχαράξει paroxysmus retardatur epilepticus?

VNI cedere remedio Epilepsiæ causas vllus vix credet nisi oculatus testis: id ecce commodùm exhibet alma parens Natura in Thermis Borboniensibus Archimbaldicis, si rationi & experientiæ multiplici fides habenda. Hæ calore multo feruentes duræ non sunt, non æstuosæ visceribus, per metallicas etsi terras decurrant: calore insignes non calfaciunt, non exsiccant: sitim mediis in ardoribus, in ipso causô epotæ sedant: manum puteis innoxiè præ æstu immergere non licet: ouum immersum per plures horas, imò testâ spoliatum non coquitur; adeò benignus & halituosus ille calor est, non vstulator & incendiarius; vt πορῶδες de terris quas alluunt aquæ, secum nil adducant, quod ventriculo, visceribúsque nutritiis molestiam afferat: Natiuum earum frigus ac nimium, in terræ abditis igne accenso, siue scaturigini, siue ductui supposito perbellè temperatur; hinc æstuantes erumpunt. Sanè statim epotæ calfaciunt, humectant, postmodùm refrigerant ipsis frigidis fœliciùs quarum appulsum transitúmque ob actuale frigus pungentémque acriusculè qualitatem partes maximè membranosæ exhorrescunt, suísque receptaculis ac venis concipi non patiuntur. Accedit spirituum à bitumine & sulphure permixtio, quos decurrenti per alueum aquæ facilè euanidos impertiunt. Sola nitri inest & admiscetur substantia ferro adiuta, nulla sulphuris aut bituminis; vt ab eis frustrà fit caloris feruentissimi causas exquirere. Eâ in miscellâ tantillum est metallici corporis cum infinitâ aquæ portione vt oxycratum dilutissimum acriùs sit, ipsa refrigerantia iuscula calfaciant magis. Hanc ars frustrà studet imitari; spiritus mole minimi, virtute maximi subsunt laténtque; quorum ope nil non peruadunt, occlusa reserant, crassos lentósque succos in præcordiis stagnantes incidunt ac diluunt, acriores & malignos demulcent, quos dein per aluum ducunt, blandâ & halituosâ interim toti habitui conciliatâ διαφορήσει, partibus tonum reddunt ac calorem natiuum vitæ authorem fouent.

THERMÆ Borbonienses Archimbaldicæ perenni & copioso fluxu diuites, feruidæ variísque stillantes bullis prodeunt, puteorum parietibus sal nitrum lenis mordacitatis & adstrictionis particeps adnascitur. Residuum post coctionem vel distillationem salsum, nitrosum manet. Hæc certissima mixtionis testimonia haustæ è puteis aquæ penè denegant; limpidæ sunt insipidæ, inodoræ, leues, pani conficiendo & iusculis parandis accommodatæ: itaut solo sensu iudice ἁπλοῦς crederes, nì medicatas argueret morborum myrias persanata. Immodicè fluentia sistunt menstrua, eadem parciùs aut nullatenùs prodeuntia cient; ortam ex vteri vitio percurant sterilitatem, minus bellè ob nidorulentas bilis eructationes coquenti ventriculo non secus ac natiui caloris penuriâ languenti insigniter opitulantur; coli cruciatus pictonicos, & inde crurum effœminationes, ac παρέσεις, feruidam viscerum διάθεσιν, & antiquas ἐμφράξεις, ac inde enatum febrium erraticarum genus omne, icteros, fœdos virginum colores, tremores atque indecentes colli & membrorum positus ac figuras, mammarum, lienisque tumores penè schirrhosos, hydropem, affectúsque hypochondriacos perfectè & integrè sanant: renum vesicæque vlcera nequaquam, arthriticos etiam mirè iuuant vt & Syphilide affectos. vno verbo cæteras thermas tantùm dignitate & viribus superant quantum eæ gelidis præstant.

PARVM cautè faciunt qui lauandos ægros aut aspergendos Borbonium mittunt, Thermarum interdicto potu, qui nunquam non salubris & sine quo Balneum ac Duccia semper nocent. Balneum sæpè liquat & soluit quæ discutere non potest, superfluum omne coërcet ac suspendit, in corporis habitum pellicit, vnde arteriolarum plus satis incalescentium suctione toti sudore diffluunt ægri, corpúsque vniuersum intrà horulæ semiquadrantem adcò pulsat, vt febris certò & breui consequatur. Suis tamen dotibus commendandum venit, strictiores cutis aperit poros, neruosi generis exolutum robur resarcit ac musculosi humore nimio ebrij perfrigerationes, & ἀῤῥωστίας, necnon ariditate prædura contractáque membra sanat integrè, suóque calore humido languentem exsuscitat natiuum. Duccia seu stillicidium est aquæ thermalis ex alto delapsæ irrigatio in caput aliámve partem, exceptis corde & hepate; si mauis, Balneum est particulare vniuersali longè efficaciùs ad partem alterandam, roborandam aut vacuandam; aspersa sanè syncipiti epilepsiæ primariæ vtilis est, necnon & oculis ad ἀμαύρωσιν percurandam. Fotus imbecillis Ducciæ loco adhibetur dolentibus membris, perfrigeratis, induratis, tumidis, contractis. Verùm illa omnia calentis aquæ potui collata, minima sunt. Morborum quidem reliquias, non ipsos prorsus auellunt. Præsidium tamen caue putes innocuum? aut inconsulto Medico vsurpandum? Causarius apparandus imperatâ viuendi lege congruâ, clysmo iniecto, venarum depletâ cacochymicâ plenitudine, dein purgatione educendâ. Quibus peractis ac postulante vsu & necessitate iteratis, Sonticum potu matutino ex ipso fonte hauriendo recreabis toties & tamdiù quoties & quamdiù morbi magnitudo & ventriculi vires ferent: hácque methodo breui eum magno morbo expedies.

Ergo Epilepsiæ per consensum aquæ Borbonienses Archimbaldicæ.

Proponebat Lutetiæ IOANNES FORESTIER Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludouicus Renouart. | *M. Franciscus Blondel.* | *M. Nicolaus Regnier.*
M. Petrus le Comte, Chir. Prof. | *M. Lancelotus de Frades.* | *M. Ioannes de Bourges.*
M. Mathurinus Alton. | *M. Iacobus Mantel.* | *M. Ludouicus Robillart.*